1394. mediis Julii Ex Archi: Capituli Plocen.

621.

162

Litera iudicialis super Uniemino nobilium adiudicationis certæ sortis bonorum inter nobiles de ibidem hæredes.

Nos Gothardus iudex, et Albertus subiudex Plocen. universis notum facimus præsentibus et futuris, præsentium notitiam habituris, Quod ad nostram aliorumq; plurimorum nobiscum protunc iudicio, inclytissimi principis domini nostri domini Semovithi, Dei Gratia ducis Masoviæ præsidentium, venientes præsentiam, honestæ dominæ Talislawa, una cum sorore sua Gretha, Nicolaum hæredem de Uneminо cum fratribus suis, videlicet, Troiano, Stanislao et Gabriele citaverunt, propter partē ipsarum in Unemino, ex successione paterna ipsas hæreditariè tangentes, quam partem in Unemino iam præhabitam, cum dicti Troianus, Stanislaus et Gabriel emere non potuerunt. Tandem nos visa salubri iurisdictione, veròque iudicio præhabito, Nicolao fratri eorum hæredi de Unemino, iudicio vero et legitimo lucratus est, pro tredecim marcarum, triginta grossos marca pro qualibet computando emere adiudicavimus, et præsentibus adiudicamus, perpetuè et in ævum, eisdem Talislawæ et Grethæ fratribusque Troiano, Stanislao et Gabrieli præhabitis de cætero perpetuum silentium imponemus. In cuius rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Actum et datum in Ploczk feria secunda proxima ante festum beatæ Margarethæ, sub anno Domini 1394.